QUAEDAM

DE CHININIO PRAECIPUE DE EXTERNA EIUS APPLICATIONE.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM
CONSENRU ET AUCTORITATE GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XV. M. SEPTEMBRIS A. MDCCCXXVIII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENSURUS EST
AUCTOR

VALENTINUS JULIUS WESCHE
HALBERSTADIENSIS.

OPPONENTIBUS:

H. GRIMM, MED. ET CHIR. DR.

A. NIEMANN, MED. ET CHIR. DD.

F. KÜPPER, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI, TYPIS JORDANIANIS.

Ne cognita pro incognitis habeamus hisque temere assentiamur; quod vitium qui fugere volet — omnes autem velle debent — adhibebit ad considerandas res et tempus et diligentiam.

Cicero de offic. lib. I. cap. VI.

Prooemium.

Non de remedii novi, gravissimi quidem et usitatissimi vero effectu et efficacia interna, sed de externo eius usu nonnulla adiicere mihi proposui. Res sane ardua et difficilis, ut vix spes mihi remaneat a me ipso illam absolutam iri, sed visum mihi est operae pretium, ut equidem et ipse aliquid ad illam perficiendam conferrem. Itaque ab incepto deterreri me non passus sum. Nam quae Gallos de externo Chininii sulphurici usu edoctos legebam, ita mihi placuerunt, ut memor Cl. Halleri in Praef. op. summi Canon. Physiol. pag. V. verborum: „Nullum unquam experimentum, administratio nulla, semel debet institui; neque verum innotescit, nisi ex constante repetitorum periculorum eventu. Plurima sunt aliena, quae se in experimenta immiscent; discedunt ea in repetendo, ideo quia aliena sunt et pura supersunt, quae adeo perpetuo similiter eveniunt, quod ex ipsa rei natura fluat. Sed et natura variabilis est; et sola repetitione eius quasi sensus et voluntas dispalescit-" nova pericula instituerem, et hoc modo magis sancirem methodum illam forsan in multis morbi speciebus probandam.

Ceterum aequos me iudices hac in quaestione nacturum, spero.

Febres intermittentes omnibus temporibus partim ob malignitatem, partim ob pertinaciam medicorum vires intenderunt, quippe quarum, cum causa sic dicta proxima, ut plurimorum morborum, incognita sit, tum praedisponentes et occasionales causae nondum rite perpensae et probatae sint. Nostris temporibus, etsi Physiologia majorem variis corporis partibus lucem attulerit, variasque functiones indies magis magisque perscrutari et explicare tentet, diversae tamen hujus morbi existunt theoriae et sententiae, quibus therapiae et ipsa fulcrum suppeditavit. Captum nostrum excederet singulatim has perpendere, et in tanta obscuritate opinionumque dissensione illam, nobis probabiliorem, adjicere. Illud repetendum arbitror quod Cl. Swietenius ipse iam docuit his verbis: „Praestat in morborum causis indagandis progredi tantum, quousque per fidelia observata, et cognitam humani corporis fabricam licet; et in reliquis ignorantiam fateri, quam fictis hypothesibus quantum libet etiam ingeniosis ludere.“ Si quis tamem locus conjectnris conceditur,

id unum fortasse per remedia ipsa adhibita et per nonnulla morbi signa sancitur, praecipue systema gangliosum nervorum, nimirum plexum solarem, maiorem affectionem denotare; ideoque multi auctorum hunc fomitem illarum febrium referunt, quem Cl. Bartels primus defendit.

Remediorum contra hunc morbum magnus numerus quidem existit, haec pertractare et meliora probare non meum esse putavi, sed in eo tantum inhaerere, ut remedii illius novissimis temporibus per experientiae testimonia sanciti praeparationem, et veram agendi vim, magis perscrutarem.

China hucusque optimum febrifugum celebrata, per alia remedia ut detruderetur, non impedire, vis quae ei inest toties probata, potuit, et hoc modo iam alia remedia, ut arsenicum, cuprum etc.: a nonnullis medicis in quibusdam febris speciebus magis adhibita sunt, quam illa ipsa; novissimis autem temporibus, in China, principia illa Chininium et Cinchonium, quae Chemiae debemus, efficacia detecta, illum in integrum restituerunt.

Caput I.

De Cinchonio et Chininio eorumque salibus.

Duncan medicus Edenburgensis nomen Cinchonii tribuit materiae, quam gallae turcicae e corticis chinae decoctionibus et infusionibus praecipitant, sed ve-

ram salis basin in illa non divinavit. Gomez medicus Lusitanus experimentis de corticis chinae partibus constitutivis modo nominati medici fretus, diligenter cognovit rem, quam non multo prius Reuss tractaverat, et in libro suo 1) et in scriptis Academiae Lisboniensis divulgavit. Praecipitatum illud praecipuas chinae corticis virtutes praebere Gomez quidem intellexit, attamen novas instituit investigationes, ut meliorem, de proprietatibus chemicis illius substantiae, cognitionem sibi acquireret, et tritissima haec indagatio hanc rem melius nos edocuit 2). Materiam illam ut a ceteris partibus chinam constituentibus seponeret, extractum Cinchonae Peruvianae (Cinch. nitida) spirituosum in atmosphaerae temperie aqua diluit, tum filtratum et usque ad extracti consistentiam evaporatum in cineris clavellati solutione lavit, et omnibus denique in filtrum iniectis, relictum in illo aqua cineris clavellati et tum aqua frigida abluit; hoc siccatum, Cinchonium a Duncan detectum pronuntiavit. Cinchonium sic partum, nondum ab omnibus chinae partibus liberatum, et paullulum cineris clavellati continens, in spiritu veni rectificatissimo solvit, et, ut certiorem se de his faceret, liquorem filtratum pari aquae destillatae copia praecipitavit, tum mixturam charta simplici texit et postea liquorem praecipitatum in filtro siccavit.

---

1) Essaii a sobre o chinchonio, e sobre sua influenzia etc. Lisb. 1810. — Ficinus, Cinchonium Medicamen efficacissimum adversus cachexiam, a febre intermittente obortam, tutissime adhib. Dresd. 1816.

2) Dictionnaire des sciences médicales, Art. Quinquina.

Cinchonium sic depuratum ex parvis et acuformibus constat crystallis, inter digitorum attactum facile in resinosum pulverem abeuntibus, odoris nullius, et sapore carentibus, inflammabilibus, qui aqua calida et frigida non sulvuntur, solubilibus vero in spiritu vini rectificatissimo, acido sulphurico, nitrico et muriatico, nec non in acido acetosellae, aceti et citri. Gomez Cinchonium hoc principium resinis simillimum putat, nec minus camphorae propter crystallisationem, similitudinem quandam referre. Houton Labillardière Cinchonium hoc a corporibus alcalinis non abhorrere invenit, quamquam hanc materiem, cui aliquid pingue inhaerebat, nec alcali nec acidi naturam habere Gomez censeret.

Chemici francogallici Pelletier et Caventou, bene meriti de chemia organica, excitati per experimenta iam instituta, novis institutis chemicis de China grisea (Cinch condaminea) et praecipue de hac re, demonstraverunt, illi corticis chinae principio naturam inesse alcalinam, idemque coniunctum cum acido chinae insito, sal praebere. Nos certos etiam iidem chemici fecerunt, materiam hanc alcalinam ex Carbogenio, Oxygenio et Hydrogenio esse compositam, et cum acido chinae conspirantem in variis huius plantae speciebus se offerre. Methodus, qua Pelletier et Cuventou in quaerendo hoc principio utebantur, non multum ab illa a Gomez celebrata abhorret, quippe qui lavant 1)

1) Annales de Chemie et de Physique Vxv. p. 289 et 327. Iulius u. Gerson: Magazin Bd. 1. S. 567.

extractum chinae spirituosum aqua alcalisata (légérement alcalisée) donec non amplius colorem accipit. Aqua alcalisata nimirum hic adhibita est, ut principium tingens, quod chinae inest, solveretur, et eodem tempore se cum acido, materiae febrifugae inhaerente coniungeret. Haec materia alcali cuiusdam ope praecipitata et in spiritu vini rectificatissimo soluta, crystallos fingit, Cinchonium purum continentes 1).

Pelletier et Caventou alia quadam ratione extractum Chinae spirituosum cum acido muriatico diluto calide tractantes, Cinchonium terra calcarea praecipitatum, lavatum et siccatum in spiritu vini solvunt.

Cinchonium 2), quod Pelletier et Caventou invenerunt, ex Carboneo, Azotico, Hydrogenio et Oxygenio constat; Brande Oxygenium in illo non invenit 3). Pelletier et Caventou substantiam cortici Cinchonae condamineae insitam investigantes, de ipso principio in aliis Cinchonae speciebus se oblaturo, perscrutati sunt Chinam flavam (Cinchonam curdifoliam). Alcali in hac priori ex multo simile quidem inveniebant, sed virtutibus propriis tam excellens, ut proprio nomine Chininii nempe distinguerent.

Chininium, simili modo uti Cinchonium praepara-

---

1) Tromsdorff: Iournal Bd. 11. St. 2. S. 140.

2) Magendie Formnlaire pour la préparation et l'emploi de plusieurs nouveaux médicamens, Quatrième édition, a Paris 1824 p. 62. — Pelletier et Dumas; Recherches sur la composition élémentaire et sur quelques propriétés caracteristiques des bases salefiables organiques.

3) Ibid. p. 62.

tum, ex Carboneo, Azotico, Hydrogenio et Oxygenio constat 1), Brande 2) plus Azoti et minus Oxygenii in illo invenit, quam Pelletier et Caventou. Formam exhibet massae porosae, sali albido similem, non crystallisatam, quam in crystallos tamen redigere licet. Magendie 3), Chininium per solutionem crystallisationem efficere negat; Pelletier et Caventou hoc se effecisse, post liquefactionem et refrigerationem, quo simul speciem suam resinosam et pellucidam amittat, contendunt. Nullius odoris, peramarum vero est; aër atmosphaericus nullum illi tribuit acidum carbonicum, neque alio modo ab illo commutatur. Aqua frigida non solvitur; spiritus vini rectificatissimus facillime hanc basin solvit, prasertim fervidus, nec minus aether, Cinchonium minime solvens; quae inter has bases differentia remedium nobis offert, quo non solum altera ab altera distingui, sed etiam, si coniunctae inveniuntur, segregari possunt. Olea fixa et aetherea parvum solum huius basis partem solvunt.

Chininium cum acidis salia format, quae solubiliora, sapore amarioria sunt, et maiore, ut medici denotant, in corpus humanum effectu gaudent, quam Chininium purum.

Variae Chininii praeparandi methodi adhibitae sunt, quarum vero enumerationem, ne nimis longus sim,

---

1) Magendie, Formulaire pour la prép. etc. p. 61.
2) Annals of philosophy, avril 1824.
3) Magendie, Formulaire. p. 60.

eo facilius omitto, cum in libris infra citatis exstent. 1)

Chinae species abhinc variae examinatae sunt; nimirum quae maximam Chininii copiam continerent, eas praestantissimo etiam effectu gaudere, experimenta permulta docuerunt. Michaëlis analysin chemicam hanc ob rem variorum chinae corticum instituit, quam Roloff divulgavit 2); qua ex analysi, veram corticem chinae regiam, non flavam, efficacissimam esse elucet; illa Cinchonium nullum, libra una autem Chininii grana 286 continet, quae copia in nullis aliis corticibus invenitur.

Sal illud per conjunctionem acidi sulphurici cum Chininio ortum, notissimum Chininii et Cinchonini praeparatorum est, et cum hoc plurima pericula facta sunt. 3) Cinchonium minori vi et celeritate in corpus humanum agere videtur; ideoque rarius adhibitum est; Cinchonio sulphurico 4) praecipue Chomel usus est, 5) et experimentis ab illo institutis elucet, maiores doses adhibendas esse, quam Chininii sulphurici. Gitter-

---

1) Dictionaire de Médicine, Art. Quinine — Annales de Chemie et de Physique T. XVII. p. 273. et 439 — Buchners Repertorium der Pharmacie Bd. 12. S. 99. — Iournal de Pharmacie 1821 Iuly und Nvbr — Brande's Archiv Bd. 1. H. 4. p. 305 — Bd. 3. p. 269. — Harless Magazin Bd. 6. p. 72 — 74. p. 96.

2) Hufeland, Journal d. prakt. Heilk. Bd. 58. St. 4. S. 109.

3) Magendie, Formulaire p. 67.

4) Geiger's Handbuch der Pharmacie Bd. 1. S. 687.

5) Med. chirurg. Zeit. 1823. III. p. 66.

mann 6) praefert Chininium sulphuricum Cinchonio sulphurico, febrem quidem cum illo debellavit, sed tantum diuturniori usu; in quibusdam casibus plane virtute febrifuga carere videbatur et ad Chininum sulphuricum confugeret, necesse erat. 7) Bailly 7) Cinchonium sulphuricum contra viginti et septem febres intermittentes diversi typi adhibuit, et fausto cum eventu omnes sanavit, sed hanc simul animadversionem nobis communicat, Chininium sulphuricum minorem irritantem vim exercere quam Cinchonium sulpuricum, ideoque probabilius applicatu esse.

De Chininio sulphurico (Sulphas quinicus, Sulphate de Quinine) chemicus Henry praeparandi methodum publicavit, qua remedium hoc celerius et minoris pretii parare licet. 8) Corticem chinae sub calore acido sulphurico egit, liquoribus calce viva colorem detraxit et praecipitatum, ut a nimia calcis copia liberaret, lavit, tum in spiritu vini digestioni subiecit; destillata materies fusca, viscosa, refrigeratione dilabitur, et amaritudine permagna est praedita. Ex hac materia, sub calore acido sulphurico tractata, et ex liquore hac ratione obtento crystalla nascuntur, quibus nomen Chininii sulphurici tributum est. — Secundum Pharmacopoeam 9) borussicam praeparato hoc sale praecipue usus sum in observationibus.

Praeterea aliae praeparandi methodi et plura alia

---

6) Med. chir. Zeit 1823. I. p. 258.
7) Archives générales de médicine Bd. 9. p. 436.
8) Brandes Archiv Bd. 1. H. 4. p. 305.
9) Pharmacopoea Borussica p. 283.

adsunt praeparata 10) his similia, quorum Francogalli mentionem faciunt, sed mittamus haec, et transeamus ad medicum usum huius remedii. Perpaucis verbis Chininium aceticum, quod Sundelin non sine sperato eventu in febribus intermittentibus adhibuit, et Chininium muriaticum (Hydrochlorate de Quinine) tangam, quod solubilius quam Chininium sulphuricum minus vero Cinchonio sulphurico, eundem effectum exhibere, quam Chininium sulphuricum, nonnulli contendunt. Crystalli eius nodis sericis similes sunt.

De omnibus fere morbis, in quibus hucusque China propinata est, experimenta instituta sunt, quae probant; salia illa et praecipue Chininium sulphuricum saluberrimo effectu esse, et agnoscamus specificam vim Chinae adversus morbos intermittentes illis inesse, a tonica et adstringente eius virtute diversam.

Caput II.

De usu interno Chininii sulphurici.

Non interest nostra ad verum remedii cuiusdam agnoscendum effectum, ut observationes nonnullorum medicorum allegemus; sed necesse est, ut testes gravissimos et fide dignissimos proferamus, qui illud, sicut experientia docet, diligentissime examinarunt, et me-

---

10) Magendie, Formulaire p. 69 etc.

dico quodam ingenio locum illi inter medicamina tradiderunt. Experimenta instituta, ut nobis prosint, physiologice et therapentice perpensa, respiciant temperamenta, vitae rationes, anni et epidemicas endemicasque constitutiones, necesse est.

Exempla quae huc affero, a medicis fide dignissimis instituta, me persuasum habent, ut illorum modo memoratorum ratione habita, ea sufficere ad veram efficiendi vim huius remedii probandam.

Francogallicorum medicorum primus Chomel 1), Chininium sulphuricum contra febres intermittentes fausto cum eventu applicasse videtur; grana sex ad octo huius remedii aqua soluta ante accessum Paroxysmi porrexit, et dosin, speratum eventum non exhibentem, duplicavit; in pertinacibus febribus maiorem autem dosin propinavit. 2)

Double 3) ut febrem suppprimeret intermittentem tertianam, cuius Paroxysmi spatium horarum decem explebant, grana tria omni trihorio tempore intervalli mulieri porrexit, et, ne febris rediret, per sex dies horis matutinis et vespertinis grana XXXXVIII adhibuit. Lesaive, Villerme 4) Fallot 5) Magendie et

---

1) Gerson und Julius: Magacin Bd. II. S. 174.

2) Med. chirurg. Zeit. 1823. III. p. 44.

3) Journal général de Medicine Vol. 71. S. 41. — Revue medicale 1820. Sechste Lieferung p. 130 — 1821 Bd. 5. S. 244. Bd. 6. S. 40. 143. 405. 414. — Gerson u. Julius Magazin Bd. 1. S. 567.

4) Bulletin de la societé med. d'emulation. Janvier 1821.

5) Journal complementaire du Diction. des scienc. med. T. XII. p. 282.

multi alii eadem pericula felici cum eventu fecerunt; nonnulli maiorem, nonnulli minorem dosin huius remedii adhibentes; Magendie 6) observavit maiorem dosin quam grana X intra nycthemerum porrectam, magnam irritationem et capitis obnubilationem afferre.

Duval 7) septemdecim observationes granis XII sanatorum, Dufour 8) decem granis tribus ad sex omni trihorio sumtis, et Petroz 9) febrem intermittentem perniciosam per XXX grana semel sumta profligatam, refert.

Maximam utilitatem Chininium sulphuricum in febribus malignis tulit, ubi, ob Apyrexiam brevissimam, et ob laesam ventriculi functionem, Chinam in usum vocare non licebat, ad avertendum proximum Paroxysmum. 10)

Hufeland 11) remedium hoc summopere laudat et medicis commendat; Chinae ipsi praeferendum putat ob faciliorem digestionem, quam illa per lignosas partis praegravat. Pulvis granorum duorum aut trium, aut pillulae cum extracto liquiritiae formatae, ad sanandas febres intermittentes intra nonnullorum die-

---

6) Geigers Magazin May 1827. p. 166.
7) Med. chirurg. Zeitung 1823. III. p. 55.
8) Ibid. p. 56.
9) Ibid. p. 63.
10) Gerson u. Julius: Magazin Bd. 2. S. 500. — Magendie Iournal de Physiologie experimentale et pathologique T. 1. No. 3.
11) Hufeland: Journal der praktischen Heilkunde Bd. 56. St. 4. S. 124.

rum spatium sufficiebant. 12) In Nosocomio caritatis berolinensi eodum cum felici eventu et sine ulla ventriculi affectione est adhibitum 13) Chininium sulphuricum, et Heim non amplius Arsenicum tam saepe in auxilium vocat.

In febre intermittente tetanica remedium hoc una cum opio et balneis tepidis effectum speratum exhibebat, et in febribus intermittentibus infantum, quibus Chinum ipsum suppeditare non licebat, eodem cum eventu adhibebatur. 14)

Optimum effectum huius remedii medici magdeburgenses, antecedente remediorum resolventium et evacuantium usu, laudant; 15) febris intermittens iam octo menses perdurans celeriter profligabatur Chininii sulphurici usu. 16)

Febrem intermittentem autumnalem ingenio lentescente nervoso Fischer 17) tuto et cito sonavit per Chininium. Observationes medicorum Italicorum et Batavorum conspirant 18) cum illis Francogallorum et Germanorum; in illis terris frequentissime occurrunt febres intermittentes; magni itaque momenti sunt observationes in Epidemia febrium perniciosarum in

---

12) Hufeland, Journal 1824. May S. 103.
13) Rust's Magazin Bd. 18. H. 2. S. 359.
14) Hufeland: Journal Bd. 59. H. 1. S. 83.
15) Rust's Magazin Bd. 16. S. 118.
16) v. Graefe's u. v. Walther's Journal Bd. 5. H. 4. S. 675.
17) Horn's Archiv f. mediz. Erfahrung 1823. Decbr. S. 361.
18) Mariani memoria di alcuni indaggini all' efficazia del Sulphute di China, Mortaro 1822. — Ripertorio med.-chirurgico par l'anno 1823.

Batavia 1823 factae, in qua maximo emolumento hoc remedium erat. In Epidemia 1826 Groeningam et Frisiae orientalis nonnullas regiones devastante et hoc remedium, licet magnae capitis congestiones et alia gravia symptomata, Chinae usum prohibentia, adessent, optimum refugium praebuit; quod Toel 19) et alii affirmant. 20)

Matheis Romae 21) principali febrium intermittentium sede, per multa iam de China ipsa pericula facta, celebrata, Chininium sulphuricum ad hunc morbum infringendum adhibens, grana quatuor ad quinque in cochleari aqua repleto, intermissionis tempore, ter aut quater per diem aegrotis porrexit, et diebus duabus, aut tribus praeterlapsis triginta et unam hac febre usque redeunte laborantes, par quindecim ad viginti quinque huius remedii grana sanavit. Eliatson 22) et Nieuwenhuis 23) experimenta de Cinchonio et Chini-

---

19) Archiv für medizin. Erfahrung v. Horn etc. Novbr. und Decbr. S. 88.

20) Gerson u. Julius. Magazin. Januar, Februar 1827. S. 34. Historia epidemiae malignae anno MDCCCXXVI. Jeverae observatae, conscript a F. A. L. Popken Med. Dr. Brem. u. Leipz. 1827.

21) Effemeridi litterarie di Roma 1822. — Gerson u. Julius, Magazin Bd. 5. F. 491.

22) Untersuchungen über den arzeneilichen Gebrauch des Chinins aus dem Englischen, in der Sammlung auserlesener Abhandlungen zum Gebrauch für pract. Aerzte. Bd. 31. St. 3.

23) Verbeterde bereiding van de Kina Loogzouten door F. L. A. Nieuwenhius etc., Amsterdam 1823.

nio acidis non coniunctis instituerunt, et eadem salus adducta est, quae per coniunctionem cum acidis. Cinchonium interdum vomitus ciebat, neutiquam autem Chininium, quod et efficacius se praestabat. Gittermann 24) maximis laudibus effert Chininium sulphuricum, et se nunquam ab illo derelictum esse in febribus intermittentibus soporis et larvatis, nec minus 2000 in simplicibus confirmat. Schrader, Chininii sulphurici, secundum praecepta a Magendie prolata, grana decem per nycthemerum suppeditavit, et observavit febrem quidem suppressam sed ter ant quater saepius redeuntem, ita ut dosis illa suppeditantem effectum ei non praeberet; ideoque putat, optimam dosin omni bihorio grana duo esse. 25) In infante annorum quatuor dosis grani unius omni bihorio data, febrem celeriter profligabat 26). Hirchel sequentem observationem in puella septem annorum nobis tradidit; 27) laborabat illa febre intermittente pertinaci quadam, contra quam Chininium sulphuricum in pulveris forma adhibebat, paullo post deglutitionem horripilatio quaedam aborta, in calorem totum corpus corripientem et cum sudore evanescentem, transiit. Haec phaenomena eodem modo repetita post deglutitionem huius remedii commoverunt eum, ut hoc analogon febris intermittentis putaret.

---

24) Med. chirurg. Zeitung 1823. Bd. 2. S. 137.

25) Allgem. mediz. Annalen 1826. p. 771.

26) Hufeland, Journal Bd. 61. H. 6. S. 140.

27) Ibid. Decbr. 1825. p. 140 u. d. f.

Eandem observationem Osann in foemina 45 annorum, refert. 28)

Brosius nomine Pips 29) febrem intermittentem valde pertinacem in paludosis Hollandiae regionibus endemice et epidemice grassantem descripsit, paene semper cum alvi obstructione coniunctam. Quodsi haec remediis resolventibus, utpote extracto graminis, taraxaci, kali acetico unacum diaeta accommodata infracta erat, grana duo Chininii sulphurici quater per diem opitulata optime contra hanc febrem egerunt. Wittmann in libro suo infra citato 30), tam de optimo eventu quam de usu et ratione Chininii sulphurici applicandi disertis verbis disserens, nobis multorum medicorum observationes et suas ipsas retulit; huic libro nonnullas aliorum morborum Chininii sulphurici usu porfligatorum historias adiicit.

Alii quoque morbi ut nervosi et dolorosi, typo et periodicitati cuidam subiecti Chininii sulphurici usum optimo eventu fuisse testantur. Günther 31) et Spiritus 32) Prosopalgiam, Niemann 33) Cepholalgiam periodice recurrentem ope huius remedii sanavit. Meyraux 34) infantem doloribus colicis quotidie hora certa

28) Hufeland. Journal Supplement. p. 97.
29) Ibid. Bd. 65. H. 1. S. 91.
30) Das schwefelsaure Chinin als Heilmittel betrachtet v. Dr. Fr. Joh. Wittmann Mainz 1827.
31) Hufeland und Osann. Journal Febr. 1825.
32) Rust's Magazin Bd. 17. H. 1.
33) Hufeland. Journal Bd. 58. H. 6. S. 119.
34) v. Froriep's Notizen Bd. 9. No. 15. S. 233.

intrantibus liberavit. Multa praeterea exempla et scripta huius remedii optimum effectum in his periodicis malis probant, quae forsan febribus intermittentibus larvatis adnumeranda sunt.

Virtutibus balsamicis, tonicis et adstringentibus, quae Chinae insunt, remedium hoc, de quo nobis sermo est, in minori gradu aut paene non praeditum est, in morbis igitur tabificis praesertim et hecticis, in humorum dyscrasia, in suppurationibus profusis, in statu putrido et scorbutico, in morbo scrophuloso, in haemorrhagiis et blennorrhois nihil aut non multum ab illo exspectari potest, nam vis tonica et adstringens Chinae in his morbis necessaria est. Si haec remedia desiderantur, China ipsa principatum obtinet, et bases eorumque salia aliis chinae praeparatis postponenda sunt 35).

In systema nervosum eiusque alterationem hoc remedium agit, quod his signis dilucidatur. Sumpta dosis quinque aut sex granorum, post horae dimidiam partem ad duas horas in ventriculo sensum ardoris plus minusve vigentis efficit, in regione cardiae incipientem, tum in regionem epigastricam se diffundentem, unde in totum abdomen et interdum usque ad pectus sese expandit. Nunc sensum localem mox borborygmi sequuntur, et per os anumque flatus decedunt; nonnunquam etiam colicae et alvi deiectiones

35) Hufeland. Journal Febr. 1825. — Rust's und Casper's kritisches Repertorium für die ges. Heilkunde Bd. XIII. S. 429.

obveniunt; arteriarum micationes fortiores et acceleratiores; calor praecipue in capite, et per totum corpus diffusus cutis exhalatione aucta finitur.

Ex omnibus modo perhibitis elucet, dosin huius remedii in variis terris ab medicis vario modo destinatam esse, nonnulli probant minorem, nonnulli maiorem. Omnes autem consentiunt, hoc remedium optimum febrifugum esse, et aliis remediis febrifugis palmam praeripere, praecipue in febribus intermittentibus malignis, ubi multum interest, ut proximum paroxismum avertamus, apyrexia tam brevi et tanta ventriculi debilitate et sensibilitate, ut China ipsa adhiberi nequeat. Summam laudem remedium nostrum meretur in infantibus; his enim, saepissime debita caeterorum Chinae praeparatorum dosis inferri non passis, necesse est, ob minus volumen et ob minorem ventriculi insultationem, porrigamus.

Caput III.

De usu externo Chininii sulphurici et muriatici.

Externa applicatio remediorum nonnullorum animum medicorum dudum iam advertebat, praesertim cum Physiologia demonstraret per plurima exempla, vasa adsorbentia ab omnibus partibus corporis aboriri et materias resorbere, resorptas mutatasque ad ductum thoracicum perducere. Quae omnia et tritissima ex-

perimenta et faustissimus effectus remediorum externe applicatorum, amorem medicorum francogallicorum inquirendi de hoc remedio pericula facere incitabat, quae saepius repetita, mox certiores illos fecerunt, hanc methodum in nonnullis casibus interno usui praeferendum esse. Priusquam quis de his alcaloides detectis cogitaret, iam Boy, Weikart, a Frank forma cataplasmatum Chinam et alia febrifuga ad regionem epigastricam applicavere, ut febrem intermittentem supprimerent.

Hufeland, in libro infra citato, usum externum Chinae contra febres intermittentes infantum commendat 1).

Lembert 2), methodum medicamina ad cutem epidermide denudatam (méthode endermique, ou emplastro-dermique) applicandi proposuit, et multis remediis pericula fecit, praecipue cum China, quae iam praeterlapsis decem minutis vim exseruit 3). Qui medicus et Lesieur 4) postea plurima experimenta instituerunt, et optimo eventu febres tertianas, et quartanas intermittentes per infricationem Chininii sulphurici in cutem epidermide vesicatorio privatam, profligarunt.

---

1) Hufeland über einige Kinderkrankheiten Leipzig, 1792. S. 200.

2) Archives générales de medicine May 1824.

3) Nouvelle Bibliothèque 1826. 10. — Heckers litterar. Annalen Septbr. 1827. p. 68.

4) Archives générales de Med. 1826. Juin. — v. Froriep's Notizen Bd. 15. No. 2. p. 23.

Villermay 5) infantem, cuius digestionis organa internus Chininii sulphurici usus valde irritabat, per clysmata et infricationes in cutem febre intermittente liberavit.

Pointe 6), homines novem febre intermittente laborantes, qui internum usum et Chinae et Chininii sulphurici non tulerunt, bis per diem quatuor ad octo grana huius remedii in gingivam et internam buccarum superficiem infricans, brevi temporis spatio hoc morbo liberavit. Martin filius 7), experimentis a Lembert et Lesieur institutis, fretus, nova his adiecit et multas febres intermittentes optimo eventu tractavit. Chininium sulphuricum cuti epidermide per vesicatorinm denudatae imposuit, et pertinacissimos febres intermittentes brevi temporis spatio suppressit, et quidem parva dosi nisi inflammatio localis resorbtionem prohiberet. Pulvis valde vicinas partes irritabat, et inflammatio aborta dolores magnas ciens ex parte impediebat effectum; sed cerato quodam involutus, vi febrifuga non sublata, minus irritabat.

Quatuor ad sex grana bis aut ter adhibita sufficiebant in sex casibus ad febrem fugandam, semel tantum, ut ad internum usum confugeret, coactus est, ob nimiam inflammationem quam pulvis excitaverat. Bis

---

5) v. Froriep's Notizen Bd. 15. No. 21. S. 336.

6) Compte rendu des traveaux de la soc. de Med. etc. Lyon 1826. Heckers litter. Annalen Maerz 1827. S. 351.

7) Revue médicale Septbr. 1827. — Heckers litter. Annalen Nvbr. 1827. S. 362. — v. Froriep's Notizen Bd. 19. No. 2. S. 27 — 28.

remedium in pulveris forma, quater cerato involutum (incorporé dans le cerat) adhibuit et eundem effectum se observasse contendit.

Praecipue hanc externam applicationem commendat in febribus intermittentibus saepius redeuntibus, si magna iam dosis interne porrecta recidivis reluctari non potest, et animus ipse aegrotorum iamiam fractus est; tum in infantibus, qui saepius internum usum respuunt; et denique, si affectio quaedam inflammatoria ventriculi interne hoc remedium non admittit. Praeterea censet, hanc methodum melius et citius febrem debellare quam internus usus; et ob celeritatem efficiendi praecipue laudat in febribus intermittentibus quotidianis, ubi multum interest ut proximum Paroxysmum avertamus, et ubi alio modo quam per vesicatorium cutem epidermide denudare, e. g. per aquam bullientem, possumus.

Experimentis his fretus, et ut veram efficiendi vim et veritatem huius methodi investigarem, pericula tot institui quot mihi occasio praebuit; tredecim febre intermittente laborantes sanavi, quorum historias quinque hic prodo.

I.

Febris intermittens tertiana per quatuor Chininii sulphurici grana suppressa.

Maria Schneider, unius filii mater, quadraginta et octo annos nata, corpore debili, habitu sanguineo, per octo dies iam laborabat febre intermittente cum tertianario typo, cuius accessiones, fere semper hora matu-

tina, octava aut nona, cum perfrigeratione et horripilatione, ita ut cutis corrugaretur et contremiscere videretur, incipiebant. Quartum febris paroxysmum peregerat ea die, qua aegrotae curatio mihi tradita est; iam conquesta est de lassitudine magna, de capitis dolore, de anorexia et ciborum fastidio, amarescente sapore et de siti. Pulsum celerem et frequentem, paullulum plenum et irregularem inveni, linguam muco albido flavescente obtectam, abdomen tensum quidem sed nullo modo dolens, oculos splendentes. Examine rite instituto, mox eruere potui, alimenta coctu difficilia et nimis crassa, viscidam et lentam in primis viis materiam accumulasse, itemque alia uti sollicitudines graviores et refrigerationem corporis imprudentem, animalem oeconomiam evertisse, et sic una cum constitutione annua, morbo ansam praebuisse. De cura cogitans, statim mihi proposui Chininium sulphuricum externe applicare, sed cum aegrota accedente paroxysmo de vomituritionibus conquereretur, et extra omnem dubitationis alam positum invenirem, sordes primarum viarum adesse, ratum habui, antequam hoc remedium in usum vocarem, emeticum opitulare. Quo facto, eodem die pluries evomuit viscidam, taetram et flavam materiem; dein noctem sequentem dormiendo bene peregit.

Sequente die, XXIII m. Aprilis hora nona febris accessit, crebra cum occitatione et pandiculatione incipiens, quibus lassitudo, gràvitas et debilitas totius corporis, pallor et livor ungues inprimis, labia, digitosque occupans, dorsi et artuum dolor, tremos praecipue maxillae inferioris et respiratio anxia succedebat; nau-

sea et vomitus non aderant, sed sitis magna. Pulsus debilis, frequens et celer. Quae per duas horas durabant, remittente tum frigore color per totum corpus, exteriores praecipue per partes se diffundere incipiebat, et paullatim increscebat; respiratio frequens, sitis ingens et dolor capitis subseqnebantur. Pulsus magnus elatus et frequens, inaequalis certe parum. Horis tribus post arteriae placidius micabant, et aborto sudore, febris cum symptomatibus remittens, horis quatuor peractis, lassitudine aliqua remanente, penitus desiit.

Cum per hanc observationem certior factus essem, febrem per emesin neque fractam neque fugatam esse, statim versus vesperam eiusdem diei vesicatorium, magnitudine valae manus, dextro brachio imposui.

Die XXIV m. Ap. matutino tempore vesiculam per vesicatorium effectam incidi, et serosum laticem rite emisi, tum per tenaculum elevatam epidermidem forfice resecavi. Quo facto cuti epidermide privatae, grana quatuor Chininii sulphurici inspersi, quod statim magnos dolores, urentes ciebat, qui tamen paullo post mitigati sunt; tum linteo plagam obtexi.

Die XXV m. Ap. Accessio nulla, quanquam hoc die febris solito rediret; aegra tantum lassitudinem artuum et levem capitis dolorem persentiebat hora solita, qua accessio febris intraret. Pulsus paene normalis, paullulum frequens. Chininium effecerat crustam maculis flavis mixtam, residua salis; sub hac crusta haec inflammationis symptomata se praebuerunt; vasa superficialia omnia quasi iniecta, rubra erant, et attactu partium propinquarum dolores aegra per-

senticbat, calorem adauctum praebentes, partes paullulum intumuerant. Praeterea nihil inveni, quod magnam irritationem partium vicinarum denotare posset, et hanc ob causam plagam tantum unguento saturnino obtexi, qnod per tres dies reiteratum, epidermidem restitutam et regeneratam effecit.

Ab hoc inde tempore per longum temporis spatium aegrotum observavi, et quamquam nullum aliud medicamen opitulassem, tamen febris non rediit, et aegra sanata, nunc quoque se plane integram sentit.

II.

Febris intermittens tertiana per tria grana Chininii sulphurici sanata.

Eduardus Schneider, filius eiusdem matris cuius morbi historiam modo descripsi, decimum tertium annum agens, debili et gracili corporis habitu, sanguineus, per tres septimanas iam febre intermiltente correptus erat, quae, prius quotidiano typo matutino tempore per octo dies accedens, deinde in febrem intermittentem tertianam mutata, tam fixo typo per quinque accessiones redibat, ut horam paroxysmi praedestinare posses. Eodem die quo matris, illius curationem suscepi, et eum magnopere a febre affectum, debilitatum et effoeminatum inveni. Pulsus frequens inaequalis et celer erat; color faciei lividus et pallidus, dolores abdominis nulli. Ante paroxysmum aut post eum nullam vomiturilionem nec nauseam senticbat, qui tamen cum inexsitiabili siti coniunctus, per sex horas durabat.

Cum nullam Chininii sulphurici externae applicationis contraindicationem comprehendere possem, illico vesicatorium brachio dextro versus vesperam imposui.

Sequenti die XXIV m. Aprilis, quavis febris accessione iuvenem liberum inveni, et vesicam magnam, e vesicatorio exortam, resecavi, et dein eodem modo, uti antea grana tria Chininii sulphurici applicavi. Aegrotus magnos dolores urentes et lancinantes, quos vix ferre se posse edixit, sed mox paullum remittentes, non tamen ex toto evanescentes, et per totam noctem eum cruciantes, persensit.

Die XXV m. Ap. speratum Chininii effectum inveni. Febris accessionem non fecerat, aegrotus hora tantum solita post oscitationes crebras horripilationem levem, capitis doloribus et lassitudine stipatam, persenserat. Formam quidem febris fugatam duxi, sed ratum habui effectus eius, quoquo modo possem, frangere, iis igitur remediis, quae a Pathologis praecipue partim ob febrifugam vim, partim ob effectum, quem in corpus debilitatum exhibent, probantur, usus sum, et aegroto remedia amaro-resolventia praescripsi.

Effectus remedii huius in cutem paene idem fuit ac in matre, maior tamen inflammatio; vasa sanguine oppleta scatebant, quasi rete vasorum minimorum praebentia, attactu brachium valde dolebat et aegrotus illud movere non poterat. Plagam crusta flava liberatam unguento cereo, linteo raso perfuncto, obtexi et quarto iam die paene tota epidermis regenerata et restituta erat. Dolores post primam vincturam mirum in modum mitigati, non impediebant aegrotum quo minus brachium moveret.

Febris inde ab hoc tempore non rediit, et per medicamina reiterata vires tam adauctae sunt, ut octavo die inde ab ultima accessione, aegrotus ipse affirmaret, se post longam virium contentionem paene nullam lassitudinem sentire. Per longum temporis spatium iuvenem eodem modo, quo matrem observavi, sed nullam febrem redeuntem comprehendi.

His observationibus tam fausti eventus fretus, omnem occosionem, quae mihi se praebuit, laetus rimatus, sequentes morbi historias collegi.

III.

Febris intermittens quotidiana per quatuor grana Chininii sulphurici oppugnata.

Guilelmum Behrend, famulum pistoris, sextum et decimum annum agentem, mnltis refrigerationibus se exponere ars pistoria cogebat. Eum, qui saepe alimentis nimirum pane tepido cibario animalem oeconomiam valde insultaret, mense Maio post magnam refrigerationem febris intermittens alternis diebus rediens, infestabat. Nonnullis accessionibus alternis diebus factis, quotidie febris hora matutina cum ingressa, paene sex horas perdurabat.

Febris multis adhibitis remediis, quae usus domesticus proposuit, uti infuso Coffeae cum spiritu orycae et multis aliis, non fugata nedum fructa iterum iterumque aegrum horis matutinis infestabat. Per tres septimanas iam eodem vigore paroxysmi se continuarant, magna cum horripilatione et horrore horarum duorum, quem calor et sudor sex horarum exceperant.

Capitis dolores, prostratio virium, sitis gravis, appetitus nullus, os amarescens, lingua muco flavo obtecta, aderant.

Aegroto auxilium quaerenti medicus quidam emeticum propinarat, quod quidem emesin ciebat sed minime febrem eodem rigore duas accessiones peragentem fregerat, et ne paroxysmus quidem minuerat.

Die VIII m. Junii aegroto mihi tradito, rite examinato et observato vesicatorium scrobiculo cordis imposui.

Die IX m. Junii febris horis matutinis, denuo accedebat, et hora quarta pomeridiana vesicula, per vesicatorium effecta, resecata, grana quatuor Chininii sulphurici pulveris forma applicavi. Applicationis momento magnos dolores urentes et pungentes persensit aegrotus, quos vero non tantos, quantos filius ille in secunda observatione, et mox paene ex toto remittentes mihi descripsit.

Die X m. Junii febris nova solita non rediit, horis autem duabus post, pandiculatione et oscitatione crebra vexatus est aegrotus. Chinium tantam inflammationem non excitarat, quantam in praecedentibus observationibus; et nullam postea paene dolorem, si exceperis illum minimum, dum crustam absumerem et plagam unguento saturnino ligarem, persensit aegrotus.

Die XI m. Junii, de calore quodam per momenta aegrotum vexante, contendere non ausim, utrum revera febris residuum fuerit, an forsan alia causa illi ansam praebuerit. Nihil praeterea memoratu dignum inveni, plagam unguento saturnino obtexi. Diebus sequentibus, aegrotum nullo modo et ne calore quidem

illo vexatum, his cum medicaminibus, quae restaurarent et redintegrarent digestionis organa per febrem magnopore intestata, emisi; Rp. Tincturae gentianae drachmas duas, Tinctnrae Rhei aquosae drachmam sesquiunam, Tincturae angelicae drachmam unam; omni bihoria gtt. x sumendas.

Duabus hehdomadis post, idem aegrotus me denuo adiens dixit, iterum refrigerationi se exposuisse et per duos dies horis matutinis eodem, quo antea tempore febre infestatum fuisse, et sensum quendam frigoris et postea caloris habuisse. Praeterea conquestus est de anorexia, defectu appetentiae et de capitis doloribus. Pulsus inaequalis, celer, frequens et intermittens. Cum praecipue digestionis organa aegroto molestias efficerent, ratum duxi, ad illa corrigenda et praecipue vim maiorem nervis tribuendam, amara et quidem resolventia opitulare, qua ex causa solutionem Ammonii muriatici cum extracto taraxaci et mallagine gaminis praescripsi. Qua medicina exhausta, per longum tempus aegrotum nullam febris accessionem amplius deprehendentem, nedum horis matutinis sequentis diei observavi, et medicaminum continuationem coordinavi.

IV.

Febris intermittens tertiana quinque granis Chininii muriatici debellata.

Christiana Koenig, uxor, quinquaginta et quatuor annos nata, per quoddam temporis spatium febre intermittente tertiana adeo vires frangente laborabat, ut

indies debiliorem et languidiorem se sentiret. Praecipue animi curae graviores, moeror diuturnus, vitae genus, victus ratio, aetas, anni tempus, cruditatibus congerendis lentisque humoribus accumulandis accomodata videbantur ea, quae febri ansam praeberent. Vertiginosa capitis gravitas, lingua muco flavescens, sapor austerus, abdomen tensum et dolor praecipue attactu regionis hypochondriacae dextrae et sinistrae; pulsus tardus, rarus, inaequalis et intermittens, et fastidium ciborum mihi satis persuaserunt praecipue digestionis organa laborare, et illico iis prospiciendum esse; visum itaque est, saburras primarum viarum deturbare, mitigare, pituitosas et viscidos humores attenuare, solvere et foras emittere, atque obstructa viscera liberare. Statim solutinoem Ammonii muriatici praescripsi. Qua usurpata febris non decedebat, ne mitescebat quidem, attamen per iterata medicamina symptomata illa gravia gastrica mitigata sunt.

Non expediebat exspectare donec omnes obstructiones omnino sublatae essent; remanentes, febre ipsa fugata, tutius me ablaturum iudicavi.

Die quinto aegrotam iam tractans, matutino tempore vesicatorinm dextro brachio imposui. Febris accessionem aegrotam valde cruciantem fecit, et vespertino tempore vixdum sudore praeterlapso, resecata vesicula, quinque grana Chininii muriatici cuti applicavi, dolores magnos efficientia. Linteum vulneri impositum, emplastro adhaesivo fixum habui.

Per noctem bene se habuit aegrota, dolores per remedium arcessiti, non turbarant somnum. Se-

quenti die praeter lassitudinem quandam nihil sentiit aegrota; insequenti die febris eam non vexavit.

Chinium muriaticum, uti in primis observationibus, inflammationem magnam excitarat, reticulum vasorum sauguine iniectorum formabat, brachium dolebat et tumebat; crustam flavam, punctis nonnullis albidis tinctam vasis inhaerentem, resolvere non potui. Quanquam magna aderat inflammatio, tamen locum sauciatum tantum unguento saturnino obtectum ligavi, post primam ligationem iam minuta iuflammationis symptomata, post secundam prorsus evanuerunt, et quinto die epidermis restituta erat.

V.

Febris intermittens tertiana duplex per octo grana Chininii muriatici profligata.

Josephus Blessen artis scriniariae tiro, a iuventute ad hanc usque septemdecim annorum aetatem nullo gravi morbo affectus, ante duas septimanas febre intermittente infestatus est; quae, nonnullis accessionibus alternis diebus sibi invicem respondentibus praeterlapsis, quotidie eum vexabat ita ut, quoad tempus accessionis, quoad vigorem et pertinaciam alternorum dierum febris conspiraret, altero die mane altero pomeridiano tempore intrans, et sic vice versa se repentens. Color faciei lividus, pallidus, oculi conditi, habitus corporis laxus et defessus, praeterea abdomen tensum at non dolens attactu graviori, lingua flavescens, fastidium ciborum, caput dolore detentum, omnia haec satis supercue gravem huius morbi affectio-

nem testabantur. Negotium aegrotantis nostri, vitae genus et victus ratio symbolam febri procreandae simul cum constitutione annua contulerant, quod et ex functionum noxa et laesione elucebat. Manum nnllibi attactu abdominis aut tumor aut durities offendebat, ciborum autem concoctio, chylificatio, faecum eiectio, urinae pallidus et luridus color, hanc gravem affectionem simul evincebant.

Emeticum praescripsi, eoque sumto, multae saburrae emissae sunt.

Vesicatorium, hoc die, magnitudine volae manus scrobiculo cordis imposui, et ut celerem huius remedii agendi vim investigarem, matutino tempore sequentis diei, duas horas ante accessionem febris solitam, vesicam exortam resecavi, et Chininii muriatici grana quinque cuti interspersi, quae magnos dolores horae spatium non excurrentes ciebant. Plaga linteo tecta, Chininium resorptioni tradidi.

Febris sequenti die quidem rediit, sed valde mitigata, ita, ut aegrotum paene non vexaret. Statim crustam plagam obtegentem absumsi, et tria grana huius remedii iterum applicavi in eundem locum.

Noctem bene peragens aegrotus, altero die febris nullum vestigium persensit. Appetentiae defectus una cum capitis dolore perseverans per remedia amara et resolventia fugatus, et aeger in integrum restitutus est.

Remedium in scrobiculo cordis magnam inflammationem excitarat, et vasa, uti in secunda observatione, sanguine repleta scatebant, et vicinae partes attactu dolebant; nihilo secius tamen locum sauciatum tantum per quinque dies unguento saturnino ligavi.

Per tres septimanas observatum aegrotum febris denuo non vexavit.

Decem et sex aegrotos febre intermittente laborantes hucusque hoc modo tractavi, numerum quidem parvum, sed mea opinione satis magnum, ut illustraretur, hanc medendi rationem non ex toto reiiciendam esse; nam decem et tres horum aegrotantium febre liberavi, tres hoc modo in integrum restituere non potui. Ne quis me accuset, dissimulasse infaustum huius methodi usum, horum aegrotorum historias nunc perhibere mihi liceat.

I.

Friederica Hoffmann, ancilla decem et octo annos nata, per duodecim iam dies febre intermittente laborabat, quae inde ab novissimis tribus accessionibus, paene quatuor horas anticipabat. Quae tres novissimae accessiones praeteritas longe quoad vehementiam et rigorem, superabant, aegrotam valde debilitantes. Vertiginosa capitis gravitas, obsoletus ciborum appetitus, amarus oris sapor, lingua muco tecta, abdomen tensum, color pallidus, oculi subsidentes, tristitia et lassitudo, omnia haec febris magnam infestationem praesertim digestionis organorum probarunt.

Altero die, emesi absumta, pluries aegrota vomuerat, febris eodem vigore ingruebat. Versus vesperam vesicatorium dextro brachio imposui.

Sequenti die XXVII mens. J, grana sex Chininii muriatici cuti inspersi.

Die XXVIII m. J. febris accedens, minime fracta, periodos solitas absolvens me commovit, ut ver-

sus vesperam eiusdem diei denuo grana sex Chininii muriatici in eundem locum administrarem.

Die XXIX m. J. aegrota lassitudine contabescebat. Pulsus tardus inaequalis. Tempus intermedium.

Die XXX m. J. Remedium nullum effectum exseruerat, febris tantummodo non anticipans eodem vigore, uti ante rediit. Statim Scrobiculo cordis vesicatorium imponere et Chininii sulphurici grana nonnulla applicare volui, nam iteratam et frustra perhibitam applicationem huius remedii nullo alio modo, quam per falsam eius praeparationem mihi explicare potui; aegrota hoc vetabat, rogans, ut interne pulverem febrifugum sumendum acciperet. Chininii sulphurici omni bihorio granis duobus interne sumtis, febris die solito non rediit. Nihilo secius altero die denuo redeuntem febrem (Chininii usu musum, ut melius infausti effectus causam intelligerem, interposueram) Chininii sulphurici granis XII, omni bihorio duobus sumtis, profligavi. Recidivam post tredecim dies per Chininii sulphurici grana VIII sanavi. Plagam valde inflammatam, per sex dies unguento saturnino ligavi, et nullum aliud remedium externum ad cicatrisationem adducendam, necesse erat adhibere. Primo intuitu Chininium muriaticum facile agnoscere licebat, non eodem modo egisse, quo in aliis observationibus; quod per hoc remedium ipsum dicere effectum ausim, cum, ab seroso latice non solutum, crustam duram, griseo flavam, multis albido flavescentibus granis intermixtam formans, ab vasis resorberi non potuerit.

Duodecim grana Chininii sulphurici interne data proximum Paroxysmum fugantia, et eadem dosis eun-

dem effectum exhibens, recidivam non prohibuerunt, quanquam aegrota per totum tempus amara et resolventia tonica medicamina assumserat, quae optime conducebant.

Omnia haec postea eo explicare potui, quod, ut aegrota dixit, et quod antea per nullum examen comprehenderam, menstruationis tempus, sed nullus sanguinis effluxus eodem tempore adfuerat, quo febrem fugare tentaveram.

II.

Friedericus G. faber clavarius vigesimum sextum annum agens febre intermittente tertiana per duas septimanas correptus erat, a primordio impetu quoque nonnullas horas anticipante. Aegrotus praeter debilitatem, lassitudinem et capitis dolorem nihil persentiebat, quod speciem maioris affectionis prae se ferret.

Dies, quo aegrotus auxilium petebat immunis a febre erat, et ut proximum Paroxysmum supprimerem, statim vesicatorium dextro brachio infixi. Altero die mane quinque grana Chininii sulphurici cuti administrata anticipantem typum febris quidem sistebant, febrem vero ipsam non oppugnabant, cum aegrotus causam occasionalem non evitaret, et in cella subterranea humida, aëre squalido et corrupto repleta habitaret. Antea iam ex aegroto quaesiveram, ut cubiculum relinqueret, quod nunc ope redeuntis febris impetravi. Ex praeconcepta forsan opinione persvasum me habui, fausto cum eventu, denuo externe administratam Chininii sulphurici dosin adhibiturum me, quod aegrotus vetabat et non potui, quin omni bihorio granum unum Chininii sulphurici interne suppeditarem, quo febris

profligata est. Remedium externe applicatum bene quidem egerat, quod ex sistente typo elucet, sed plane, ab praedominantem certo occasionalem causam, febrem debellare non potuit. Vulnus ex remedii usu exortum post tertium diem iam cicatrisatum non amplius ligavi.

III.

Guilelmus Müller faber clavarius febre intermittente tertiana per octo iam dies correptus, in cella subterranea humida dies noctesque peregit. Applicatio externa granorum quinque Chininii sulphurici nullum effectum habuit. Cum intcgillerem, me, in hoc rerum statu, aegrotum febre immunem non servaturum, illi, ut nosocomium caritatis peteret, suasi. Nullum nobis auxilium huius remedii externus et internus usus praebet, si causam febris occasionalem non evitamus, quantum fieri potest, quod experientiae testimonia omnium temporum testantur.

In hac igitur observatione, infaustum eventum huius remedii applicationis hoc modo facili negotio explicare me posse, mihi persuasum habeo.

Caput IV.

Epicrisis.

Quodsi comparamus has observationes et faustis sub auspiciis adhibitas Chininii applicationes, cum illis, nullum effectum exhibentibus, primo intuitu nos non fugit in tertia et secunda observatione, causam

occasionalem perseverantem et non evitatam impedisse, quo minus usus hujus remedii externus bono et fausto eventu coronaretur. Cella illa subterranea humida, et simul transpiratione et exspiratione multorum hominum, quibus domicilio erat, corruptus et depravatus aër, curationem febris arcebat.

In prima observatione nobis casus obvenit, in quem remedium nostrum externe adhibitum nullum effectum exhibuit; etsi causa febris occasionalis evitata est. Causam partim in Chininio et ipso muriatico, condensatam, duram, vix fragilem et minime resorptioni aptam massam fingente, quaero; partim in eo, quod menstruationis tempus aderat. Pathologi et Physiologi nos convicerunt, illo tempore omnia medicamina effectum in corpus foemineum solitum non ex toto exercere. Omnia systemata corporis participant hanc tanti momenti periodum, cur non perversam in vasis resorbentibus activitatem admittere volumus? Ex parte res iam per Chininii sulphurici internum usum sine effectu probatur. Pet. Frank monet recidivas hoc tempore proniores esse; corpus igitur et aptius et pronius ad febrem, ideoque difficilius sanatu esse, crederem.

Post ultimam recidivam menstruatio intrans optimum febris suppressionis signum exhibuit. Libenter concedo, multas febres intermittentes chinae et Chininio per longum temporis spatium resistentes, forsan et hac ratione non oppugnandas esse; sed hoc experientiam meam excedit et hac de re iudicare non ausim.

Rem penitius indagantes, et hanc methodum remedia applicandi cum illa interna comparantes, largiamur,

utramque probandam, nec alteram, alterius usum praevertere. Quem effectum China, quem Chininium eorumque salia in corpus nostrum exerceant, quamnam partem corporis praecipue afficiant, ut tam tuto et iucunde febrem hanc, et omnes morbos periodicos sanent, hoc, usquedum proxima febris intermittentis causa tenebris involuta latet, dirimere non ausim, sed forsan externus horum remediorum usus lucem clariorem nobis praebet. Salia illa, quae chinae insunt, febrem debellare, et quanto iure Chininium Chinae palmam praeripiat in multis huius febris speciebus, de hac re certe non amplius disputandum puto, quod et per antea prolata iam declaratur. Saepissime autem nos offendunt casus, qui et Chinae et Chininii usum externum non admittunt, qui tamen celerrimam et tutissimam curationem expostulant, hi certe ad methodum hanc spectant.

Externus Chininii salium usus, uti ex morborum historiis elucet, eundem effectum quem internus febrem nimirum supprimentem, exhibet; quomodo id efficiat ex locali affectione, eadem phaenomena ac post internum usum denotante, forsan dilucidatur. Aegroti paullo post applicationem sensum quendam caloris, ex scrobiculo cordis (si in illam regionem administramus) incipientem, plus minusve ardentem, in totum abdomen et interdum (praecipue in tertia observatione) usque ad pectus extensum et ad spinam dorsi se expandentem, sentiunt. In quinta observatione hic, ut ita dicam, dolor, nam aegroti sensum sic denotant, praecipue excellebat, et ab regione mesogastrica ad spinam dorsalem se extendens, cum calore quodam per totum

corpus coniunctus erat. Non in omnibus aegrotis hunc sensum facili negotio deprehendere potui.

Certe, si systema gangliosum in febre intermittente affectum accipimus, praecipue in hoc remedium nostrum efficax est, quod et ex tertia observatione colligere licet, in qua tria grana Chininii sulphurici sufficiebant ad febrem supprimendam. Forsan, ni valde hallucinor, hunc tam promptum effectum eo explicare possumus, quod Chininium sulphuricum externe applicatum, modo resorptum et efficax, eodem tempore simul magnopere nervos cutaneos ubique dispersos affecerit. Experientiae testimonia indies magis nos convincunt, saepe febres has per magnum nervorum seu intentionem seu affectionem, debellatas esse.

Hoc remedium cuti epidermide privatae appropinquatum nervos irritare et hinc dolores excitare constat; dolores minime autem per se morbum hunc subigunt, sed effectum huius secundare mihi videntur. Dolores unice febrem avertere nemo contendere potest, qui et resorptionem huius remedii probat, et huius effectum agnoscit; resorptionem autem existere ex eo elucet, quod perpauca huius remedii copia tantum in crusta per exsudatum serosum laticem formata, existit; grana illa albido flavescentia, quae in crusta vulnus obtegente in nonnullis observationibus inveni, residua erant salis non rite in cutem inspersi, quae serosus latex statim solvere non potuit. Physiologia nos docet, vasa lymphatica substantias illis oblatas et aptas resorbere, utrum Venae, uti multi, Magendie 1) etc.

1) Meckel: Archiv Bd. 2. p. 250 58.

contendunt, eandem functionem habeant, an non, dirimere non ausim 2). Ab omnibus corporis partibus vasa lymphatica originem ducunt 3), et substantiae resorptioni aptae et superficiei corporis impositae absorbentur 4).

Epidermide integra, non tantam copiam ab illis resorberi, quam illa absumta, Seguin multis experimentis nisus, disertis verbis exposuit 5).

Functionem uti cuiusvis alius organi, et horum vasorum augeri, nullum dubium est. Vesicatorium applicatum nervos et omnia vasa irritat, maioremque his vasis impertit activitatem, quae rapide nunc porrectas substantias resorbeant. Remedium nostrum, per exsudatum serosum laticem solutum, reforptioni aptum redditur, et vasa lymphatica per vesicatorium et nunc per hoc sal irritata maiorem vicibus fungendi facultatem nanciscuntur, quod Martin his verbis denotat — „si nous considérons, cequi se passe dans une partie lorqu'une irritation se développe, nous verrons que la sensibilité du système nerveux y est augmentée; le système sanguin, s'y remplit de plus de sang; les exhalans y déposent plus de fluides; delà, les douleurs, les hémorrhagies, les changemens des couleurs, les tuméfactions, les exsudations, les concretions etc., selon la prédominance relative de ces systèmes dans la partie. Or, si elle est, comme la peau, le point

2) Rudolphi's Physiologie Bd. 2. Abthlg. 2. p. 254.
3) Ibid. p. 250.
4) Brera's Anatripsologie Uebersetzt v. Joh. Eyerel Wien 1801. Th. 2. p. 209.
5) Rudolphi's Physiologie Bd. 2. Abthl. 2. p. 256.

de départ d'un nombre infini d'absorbans, leurs fonctions doivent être activées, comme celles des tous les autres systèmes.“ Quodsi celerem vasorum lymphaticorum resorptionem, et celeritatem resorptas materias provehendi consideramus, nos non fugit, hoc remedium illis oblatum celeriorem quoque exercere effectum, quam interne assumtum per succum gastricum mutatum, et materiis, quae in ventriculo adsunt, commixtum. Emolumenta huius methodi, vasis resorbentibus remedium hoc ad febrem supprimendam porrigendi, examinantibus ex omnibus observationibus nobis elucet, minorem eius dosin febrem debellare. Ad internum usum dosis maior expostulatur, partim ob materias, cum quibus coniungimus, partim ob substantias, quae in ventriculo sunt, et cum quibus commiscetur. Externe applicatum inflammationem cutis procreat, quae tamen non tanta est, ut non statim adhibitis remediis externis sufflamminari possit; Chininium muriaticum magis irritat, quam Chininium sulphuricum. Nonnullae febris intermittentis species et nonnulli aegrotorum status hanc methodum expostulare mihi videntur.

1. Saepius tanta sensilitas, ut ita dicam, ventriculi occurrit, ut aegroti nulla medicamina vel blandissima ferant, et omnia statim eiiciant. In hoc casu externa huius remedii applicatio nobis refugium febrem urgentem debellandi praebet, quod alio modo, exceptis clysmatibus, quorum usus alia incommoda secum fert, fieri non potest. Qui status arctissime coniunctus est cum Idiosyncrasia, quae tamen non omnia medicamina respuit. Saepius illa sensilitas ab inflam-

matione quadam oritur, cuius levissimus gradus omnia salia interne porrecta explodit. Externa applicatio nullum effectum adversarium in hoc viscus inflammatum exhibet, cui succurrere et febrem fugare eodem tempore nobis licet. Quanquam non ex toto assentiar Martin, Broussaei asseclae; qui in hoc morbo quandam tunicae intimae intestinorum tubi inflammationem praedominari putat, non tamen dissentiam saepissime ventriculum febre longum temporis spatium iam durante tantopere debilitari, ut speciem quandam inflammationis prae se ferat, et omnia remedia interna praecipue autem salia respuat.

2. Infantilis aetas saepe hanc methodum curandi febres expostulat ob Idiosyncrasiam, aut ob perseverantiam, qua infantes omnia interna remedia respuunt et deglutita revomunt. Saepissime infantes optime sapientia remedia non sumunt, nedum Chininium aut Chinam, quae, nulla saporis ratione habita, tantopere interdum illorum digestionis organa praegravant, ut illa continunare, colicae inde ortae non sinant. Externa applicatio dolores quidem, sed non tam magni momenti organon infestantes et sauciantes, excitat; in infantibus sensibilibus et aliis iam morbis effoeminatis cauta mann adhibenda est, cum illis facili negotio magnas nervorum affectiones afferre possit.

3. Si alia febris intermittentis complicatio cum morbo, qui deglutiendi facultatem impedit, existat, uti e. g. Angina, Glossitis, Pharingitis etc., et internus huius remedii usus maiorem inflammationem harum partium excitaret, haec adhibendi ratio optimo

iure eligi potest. Sine dubio nemo adest, qui hoc in casu externae applicationi usum abroget.

4. Quodsi multum interest, ut proximum paroxysmum febris intermittentis malignae avertamus, haec methodus coniuncta cum interno usu remediorum, nobis refugium praebet, ut febrem non redituram praedicere possimus, quod internus usus uti ex prolatis iam colligi potest, non tam-tuto facere sinit Applicatio huius remedii hominibus sanguineis valde sensibilibus aut per febrem ipsam iam debilitatis magnos dolores excitat, ut in secunda observatione exemplum enarravi, in quo tanti erant, quanti in nulla alia; qui autem dolores minime hanc methodum repudiare possunt, nam non tanti, uti per prima applicationis momenta, persistunt, sed mox remittunt. In hominibus aliis nervorum morbis gravibus uti epilepsia laborantibus etc, internum usum huic methodo praeferrem, ob proclivitatem in alios morbos. Pulmonum affectio, uti tertia observatio docet, externum usum non vetat. — Martin contendit, remedium hoc cerato quodam involutum non tantos excitare dolores et inflammationem, efficacia non minuta, quantos pulveris formam; quod equidem non crederem, nam ceratum, ni valde hallucinor, impedimentum celeris et totius remedii absorbtionis affert, quod evitare nostrum est, et hac ex causa illo non usus sum.

Cum tantum de febris suppressione disseruerim, non meum esse credo, de aliis remediis, quae, ut aegrotantes plane in integrum restituamus, expostulantur, verba facere; hoc limites huius opusculi excederet, et hac ex causa L. B. ad Therapiam ablego.

VITAE CURRICULUM
EX DECRETO
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS BEROLINENSIS
ADIECTUM.

Ego, Valentinus Julius Wesche VI. d. a. Cal. Aprilis A. MDCCCIV. Athenstedii prope Halberstadium patre optimo Bartholdo et matre e gente Mülleriana natus, evangelicae confessioni addictus sum. Primis litterarum elementis informatus, inde ab A. MDCCCXVI. Gymnasium Halberstadiense, quod Dre Maass directore aestimatissimo floret, frequentavi, ibique octo per annos iis litteris, quae ad studia academica viam muniunt, operam navavi. Anno, huius saeculi, XXIV. examine feliciter superato, testimonioque ad academica studia maturitatis exornatus, Halam ad medicinae studium me contuli, et Illustr. a Jacob Rectore magnifico, Decano facultatis medicinae Illustr. Schreger civium academicorum numero adscriptus sum. In hac inclyta musarum sede studiorum ratio haec erat. Illustr. Sprengel Botanicen et historiam medicinae, Ill. Meckel Anatomiam humanam normalem nec non pathologicam et artem cadavera dissecandi me docuerunt; Cel. Friedlaender scholiis de Encyclopaedia et Methodologia habitis

interfui; ad Chemiam experimentalem et ad Physicen Cel. Schweigger, ad Logicen et Psychologiam empyricam Cel. Gerlach, ad Zoologiam et Helmynthologiam Cell Nitzsch me instituerunt.

Sesquianno praeterlapso, hanc Almam Academiam Berolinensem cum petissem, a Rectore t. t. Magnifico Boeckh in numerum civium academicorum receptus, alboque medico a Decano t. t. Spectatissimo Link inscriptus sum, et his praelectionibus interfui: Docuerunt me Physiologiam et Anatomiam comparatam. Illustr. Rudolphi; Chemiam Illustr. Mitscherlich, Botanicen Cel. Hayne; Mineralogiam Cel. G. Rose; Physicen Ill. Hermstädt; Pharmaciam Cel. Turte; Toxicologoliam Ill. Link, Materiam medicam et fontium salutarium notitiam Ill. Osann; Pathologiam generalem Cel. Eck; Pathologiam specialem Cel. Hecker; Therapiam, morbos mentis et syphiliticos Ill. Horn. De arte formulas medicas rite concinnandi, cum exercitationibus pharmaceuticis illustrata, et de medicina forensi politicaque Cel. Casper; de Chirurgia generali et speciali, de aciurgia et exercitationibus chirurgicis in cadaveribus institutis Ill. Kluge et Ill. Rust; de Ophthalmiatrice Cel. Juenken; de arte obstetricia, tam theoretica quam practica, de ossibus luxatis et fractis, de arte fascias applicandi Ill. Kluge, disserentes audivi. Ad praxin medicam exercendam a Viris, Illustr. Neumann, Ill. Bartels; ad praxin chirurgicam ab Ill. de Graefe et Ill. Rust, institutus sum.

Tentaminibus, tam philosophico quam medico et examine rigoroso, absolutis, spero fore ut, Dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores mihi concedantur.

Theses defendendae.

1. Vasa lymphatica neque Venae resorbent.
2. Nonnullae febres intermittentes externum Chininii usum requirunt.
3. Externus Chininii usus eodem modo, quo internus, febres intermittentes supprimit.
4. Cutis denudanda est, quo efficacius sit remedium externe applicatum.